DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VARIOLA.

7

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
VARIOLA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JACOBUS SCOTT,
HIBERNUS,
S. M. S. G. Olim.
H. M. S. Praes. Ann. et Soc. Extraord.
C. P. S. &c.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,XCV.

SAMUELI OWENS,

DE HOLESTONE,

Ingenio, induſtria

Praeſtanti

Chemiae, Botanices,

Aliarumque ſcientiarum,

Necnon

Literarum politiorum

Peritiſſimo,

Qui juvenis adhuc

Se Libertatis acrem vindicem

Praeſtitit,

Sibique amiciſſimo;

Hancce Diſſertatiunculam Medicam

D. D. Cque

AUCTOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31964928_0002

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VARIOLA.

HUNCCE morbum in Europam ſub initium ſaeculi ſeptimi ab Arabibus allatum auctores tradunt; attamen multi celeberrimi, inter quos De Haen et Freind referre poſſumus, putant, antiquis etiam haud ignotum: In ſcriptis Arabum primam ſaltem hujus peſtis hiſtoriam invenimus.

A DEFI-

DEFINITIO.

Pyrexia contagiofa cum vomitu, et ex epigaftrio preffo, dolore; tertio die incipit, et quinto finitur, eruptio papillarum phlegmonodaearum, quae, fpatio octo dierum, in fuppurationem, et in cruftas demum abeunt, faepe cicatrices depreffas, five foveolas in cute relinquentes.

In duas fpecies dividitur, fcilicet in difcretam et confluentem; prima fic definitur:

Puftulis paucis difcretis, circumfcriptione circularibus; febre, eruptione facta, protinus ceffante.

HISTO-

HISTORIA MORBI.

Huic morbo per aliquot dies praeit febris eruptiva, ſynocha, quae languore, laſſitudine et aliis pyrexiae ſymptomatibus inſignitur.

Incipit fere circa meridiem, calor et algor tum ſe invicem excipiunt cum ſomnolentia; ea, capitis, dorſi, et lumborum dolores, calor cutis plurimum auctus, *ardentia* et ſitis comitantur, nec non nauſea et vomitus.

Secundo et tertio morbi *inſultu* die omnia ſymptomata magis inſaeviunt; infantes ſternutatione et convulſionibus ſaepe corripiuntur, anxietate, pervigilio, et aliquando etiam delirio afficiuntur; ex ſomno expergefacti trepidant, et adulti ſi in lecto remanent, ad ſudandum admodum proclives ſunt.

Sub

Sub tertii diei finem vel quarti initium erumpere incipiunt aliquot pustulae, eodemque tempore omnia symptomata mitiora evadunt; in facie primo apparet eruptio gradatim ad inferiora descendens, sic ut quinto die pustulae in tota corporis superficie observantur: Pustulae, quando primo apparent, formam maculae rubrae exhibent, sed cito supra cutis superficiem elevantur, et tactui firmae fiunt: Pauciores communiter in facie sunt, quam in reliquo corpore, et nunquam simul conjunguntur ut in variola confluente: Ad diem quintum vel sextum, in summis earum vesicula parva liquorem serosum continens observatur: Bidui spatio tantum latescunt, nec formam sphaeralem ante diem octavum adeptae sunt: Bases earum ab initio margine circulari inflammato circumdantur, unde, quando numero plures sunt, cutis inflammata videtur, sic ut spatium inter pustulas colorem damascenum refert. Circa quintum diem facies tumere incipit, praecipue circa oculos, ita, ut

saepe

ſaepe palpebrarum tumore oculi prorſus clauduntur; quod faucium inflammatio et dolor, necnon deglutiendi difficultas comitantur.

Humor ſeroſus puſtularum paulatim colorem album, tandem in flavum abiturum, induit; Die undecimo facies detumeſcere incipit, et puſtulae omnino plenae ſunt; tunc temporis ſuppuratio incipit, puſtularum apices nigreſcunt, pus in cutis ſuperficiem exſudat, dein flavidae fiunt, et in cruſtulas ſquamoſas abeunt; aliquando parum tantum puris exſudant, et quod reſtat, indureſcit. Paucis diebus cruſtae decidunt et cutis colorem obſcure rubrum induit, nec niſi poſt aliquot dies apparent color et elegantia priſtina.

In artubus pus ſaepe abſorbetur, ſic ut dum puſtulae in aliis partibus plenae manent, in his omnino flaccidae fiunt. Circa decimum vel undecimum diem, facie detumeſcente, manus et

pedes

pedes turgefcunt, hi vero, puftulis maturefcentibus, iterum minuuntur. Quando puftulae faciei numero plures fint, circa hoc tempus, pyrexia levis fefe oftendit, quae poft puftularum fuppurationem cito evanefcit, nec unquam poftea in variola difcreta obfervatur; eodem tempore etiam difficultas deglutiendi et raucedo apparent, quae cum faciei tumore augefcunt, fed cum eo etiam minuuntur.

In variola confluente fymptomata haec omnia graviora funt, febris eruptiva magis infaevit, pulfus frequentior et pulfum febris typhi refert; coma et delirium non raro obfervantur; nec non vomitus faepe hujus morbi initium comitatur. Infantes, primis diebus faepius convulfionibus afficiuntur, quae eos aliquando e medio tollunt ante eruptionem, fed tamen, fecundum illuftriffimum Sydenhamum faepius in initio variolae difcretae quam confluentis obfervantur; hac in fpecie fecundo vel tertio die a morbi acceffione

ne irrumpere incipiunt puſtulae, quae, quo citius erumpant, morbum vehementiorem minantur: Initio diſcretae apparent, ſed progrediente morbo, dum earum numerus augetur, plus minuſve cohaerent; aliquando acervatim, ut in rubeola prorumpunt, et inflammatio eryſipelatoſa puſtulas diſcretas circumdat: Eruptione finita, apparent puſtulae plures, minores et magis cohaerentes in facie quae ab initio tumeſcere incipit; fauces inflammatione foeda tenentur, quae deglutitionem impedit, et aliquando ſuffocationem minatur. In adultis ſaliva copioſior et acrior ſecernitur, quae os et fauces excoriat, poſtea craſſa et viſcoſa fit, ita ut non niſi difficillime exſpuatur; infantibus loco ejus diarrhoea accidit, quae, teſtante Sydenhamo, nunquam in variola diſcreta obſervatur.

Poſt eruptionem febris parum miteſcit, ſed nunquam omnino evaneſcit, poſt quintum vero aut ſextum diem iterum inſaevire incipit, et per

totum

totum morbi curſum ardet; in puſtularum ſummis veſiculae citius apparent, quae figuram irregularem inducunt, et cohaerent ita ut facies cum una veſicula potius quam cum puſtulis pluribus obduci videtur; hae veſiculae formam ſphaeralem non aſſumunt, ſed e contra parum eminent, ita ut tota faciei ſuperficies plana apparet.

Dum pergit ſuppuratio, puſtulae flavidae fiunt, et in earum ſummis maculae nigrae apparent; undecimo circiter die dehiſcunt, et liquorem ſuum fuſcum aut ſubnigrum exſudant; quae faciem occupant, communiter foveolas relinquunt.

Multa alia ſymptomata in variis morbi ſtadiis obſervantur, quae periculum permagnum ſaepe augurant; talia ſunt petechiae, dyſuria, iſchuria, haematuria, et aliae haemorrhagiae.

Facie

Facie detumeſcente, pedibus, et manibus tumor evenit, et ſymptomata febrilia tunc miteſcunt; ſed poſtea iterum augeſcunt, et tunc febris ſecundaria dicitur, ſaepe putredinis ſymptomatibus ſtipatur ut ſpiritu et faecibus foetidis, lingua et faucibus nigris et aridis, et corporis ſumma debilitate, non raro in hoc morbi ſtadio ſcenam claudit.

DIAGNOSIS.

Ante eruptionem tantum pro rubeola ſumi poteſt hic morbus, nec etiam tunc ſi omnia ſymptomata bene notantur, nam in priore febrem ſemper comitantur, tuſſis, epiphora, oculorum dolor et ſternutatio; praeterea in variola erumpere ſolent puſtulae tertio die, in rubeola vero quarto, ſed de hoc nil certe ſtatui poteſt, nam, teſtante Sydenhamo, in variola aliquando die ſecundo vel etiam primo fit eruptio; ab aliis

manuum et pedum frigus, regionis epigaſtriae dolor, convulſiones quando poſt dentitionem accedunt, ut ſigna hujus morbi pathognomonica enumerantur *. Secundum celeberrimum Hunterum utraque contagio eodem tempore exiſtere poteſt, ſed tunc variola per aliquot dies rubeolae puſtulas erumpere impedit †.

Eryſipelas etiam et ſcarlatina primis diebus variolam multum referunt; in priore vero rubedinem et tumorem nullomodo puſtulas obſervamus; a poſteriore ſecernitur ſimili modo et etiam eruptionis tempore, quae in hac die quarto fit; praeterea cum angina ante eruptionem prodeunte fere ſemper occurrit; aliquando aegrum variola ſimul et ſcarlatina aggrediuntur, et tunc lethalem minantur eventum; inde recte monent medici, nunquam, inſaeviente ſcarlatina, variolas inſerere ‡.

Nullus

* Vid. Walker on the Small Pox.

† Vid. Hunter on the Venereal.

‡ Vid. Walker on the Small Pox.

Nullus vero morbus variolam magis quam varicella refert: Inter eas tamen diagnosis non admodum difficilis: Varicellae febricula tantum praeit, in aliquibus etiam secundum cel. Heberden nil aliud quam molestiae sensus, vel ciborum aversatio per tres dies observatur; pustulae semper paucae numero sunt, nunquam plus quam duodecim in facie et ducentas in reliquo corpore vidit; in acuminibus earum, secundo vel tertio die post eruptionem, apparet vesicula liquore seroso plena; circiter quintum in squamulas abeunt furfuraceas, quum in variola nondum suppuraverint; per totum morbi decursum languore et lassitudine leviter tantum afficiuntur. A quibusdam variola et varicella ejusdem esse naturae putabantur, sed hujus contrarium probatur, ex eo quod hi, qui varicella laborabant, variola postea correpta fuerunt, sed varicella nunquam plus quam semel affici possunt.

PROG-

PROGNOSIS.

Variola iis praefertim eventum infauftum minatur, qui temperamenti robufti et plethorici funt; junioribus etiam minus quam adultis infelix eft, ex eo, fecundum aliquos, quod materia variolofa liberius per cutis poros tranfeat: Quo magis ad confluentem appropinquat, eo plus timendum.

Difcreta, nifi quando puftulae plurimae faciem obfident, periculi expers eft; confluens autem femper periculofa eft; quando delirium vel convulfiones accedunt, valde periclitantur aegri, praecipue fi bafes puftularum lividae fint, vel fymptomata putredinis adfint. Quando morbus gravior eft, moriuntur faepe aegri ante diem octavum, communiter vero non nifi die undecimo pereunt; et faepe ufque ad decimum quartum

quartum vel decimum ſeptimum vita protrahitur. Morbum benignum eſſe judicare poſſumus, quando puſtulae primo in facie, deinde paulatim in extremitatibus deſiccare incipiunt, et quando hoc lente fit; morbo vero maligno hoc uno die perficitur; an in hoc caſu materia varioloſa abſorbetur, et in aliis locis deponitur non omnino certum eſt.

Infelicem etiam indicant eventum ulcera foeda infra cruſtas nigra, quae febris hectica, dyſpnoea ac diarrhoea comitantur, et quae maximam inducunt debilitatem.

Quamvis initio ſymptomata mitia fuiſſent, tamen circa diem ſeptimum, nonum vel undecimum, ingraveſcere ſaepe incipiunt; facies ſubito detumeſcit, ſalivatio ceſſat, puſtulae flaccidae fiunt, et earum interſtitia pallida et livida. Hoc praecipue timendum eſt, ſi primo, ſecundo, aut tertio die puſtulae plurimae erumpant,

vel,

vel, ſi, eruptione facta, non bene impleantur, ſed lateſcunt, in acumine nigreſcunt, et ſi baſes earum non rubicundae ſed fuſcae ſint: Si urina cruda et limpida ſit, et ſi arteriae carotides fortiter pulſent, infauſta inde deducenda eſt prognoſis.

Infauſtum, dicunt celeberrimi medici *, ſi, facie detumeſcente, primo manus et poſtea pedes non intumeſcant, hoc enim modo materiam morbificam regulariter transferri ſupponunt.

DE MORBI CAUSIS.

Morborum cauſas in praediſponentes, excitantes, et proximam dividere ſolent medici: Cauſam hujus morbi excitantem contagionem nullomodo dubitari poteſt: Sed quinam habitus huic contagioni homines proclives reddat, non

* Huxham on Fever and Small Pox.

non adeo certum eſt. Homines, quo debiliores ſunt, eo minus morborum cauſis reſiſtere valeant, attamen robuſtos aeque ac debiles variola correptos obſervamus, imo multo magis exinde periclitantur. Varietatem variolae non ex diverſa contagionis natura pendere conſtat ex eo quod plures eadem materia, et ſub iiſdem circumſtantiis infecti, diverſa morbi ſpecie afficiuntur, ita ut unus variola confluente, alter tantum diſcreta laborat.

Inter ſe vero deferre videtur variola pro aegri temperamento et regimine ac pro anni tempore. Diatheſis inflammatoria maxime infauſta eſt, hinc adulti quam pueri in majore periculo verſantur, hinc plures illorum quam horum variola confluente corripiuntur. Qui cibo ex carne veſcuntur, gravius afficiuntur, quam qui vegetabilibus praecipue utuntur; carnes enim nobis plus nutrimenti, quam vegetabilia, ſuppeditant, nam breviore temporis ſpatio in ſubſtantiam

noſtram

noſtram reducuntur, hinc animalibus carnivoris inteſtina breviora ſunt quam frugivoris, hinc homines, quo magis cibo ex materia animali utuntur, eo robuſtiores ſunt; exinde vero morbis a diatheſi phlogiſtica pendentibus proclives magis redduntur; variola his maxime infauſta eſt, febris enim eruptiva magis inſaevit, plures puſtulae erumpunt, hanc auctam ſyſtematis vim inſequuntur debilitas et putredo, quibus aeger reſiſtere nequeat.

Calor puſtularum eruptioni favet ita ut, caeteris paribus, eo plus puſtulae in aliquo corporis loco obſervantur, quo plus calor foveatur.

Quomodo vero materia varioloſa ſuos effectus producat, difficilius explicatur; opinio Culleni eſt, quod contagio in ſyſtema recepta ſanguinem in ſuam naturam aſſimilat, hocque fit, ex eo quod contagio fermenti vice fungitur. Humorum pars aſſimilata, vel perſpiratione e

corpore

corpore eliminatur, vel puſtulas format; quamvis autem pars aſſimilata in diverſis individuis fere eadem ſit, in aliquibus tamen plus ſub forma perſpirationis elicitur, et minus ad puſtularum formationem inſervit, et vice verſa; ſed haec opinio minime obſervationi conſentanea eſt, nam in hoc caſu praxis alexipharmica, quae tantae generi humani ſtragis cauſa fuit, anteponenda eſſet.

Auctor, qui nuperrime etiam putat, naturam variolae fermentationis in fluidam agere; ſed eam in lympham effectus ſuos producere, et per experimentum probare conatur, nam ſeparatim mixtis cum aequali materiae varioloſae quantitate ſanguinis craſſamento et lympha, haec prius putrefactionem ſubire incipit quam alterum; ichoris in variis caſibus quantitatem diverſam eſſe ex eo exiſtimat, quod in India Brachmanes puſtulas cum acubus aperiunt, et ichore ex iis exudante, febris ſecundaria lenior redditur, at-

tamen hoc ex eo pendere poteſt, quod tunc pus non abſorbetur. Explicari autem non poteſt, cur puris abſorptio, quam in aliis caſibus febris hectica comitatur, in hoc morbo febrem tam diverſam producat.

METHODUS MEDENDI.

Variola benigna vix ullis indiget remediis, attamen a cibo animali et liquoribus ſpirituoſis abſtinere oportet, nec non clyſmatibus emollientibus alvum ſolutam reddere.

Inſaeviente febre eruptiva, opportet aegrotus aëre puro et frigido fruatur, imo conveniat e lecto ſurgere et ſub dio manere, niſi tempeſtas, aut nimis calida, aut nimis frigida, prohibeat; ſi adultus ſit aeger, et habitus plethorici, ſanguinem mittere oportebit; ſine ratione timent aliqui, ne venaeſectione eruptio impediatur, et ſic materia

materia variolofa in fyftemate retineatur, nam e contra febris eruptiva mitior et eruptio benignior redduntur; imo debilitas quae variolam confluentem infequitur, fanguinis, initio morbi, miffione multum levatur.

Emeticorum ufum febre eruptiva incipiente aliqui multum laudant, eaque indicari dolore regionis epigaftricae et proclivitate ad vomitum putant; praeterea quemadmodum humores verfus cutem determinant fine acuta diathefi phlogiftica, fieri poteft, quod aliqua materiae variolofae pars e corpore eliminatur.

Per totum morbi decurfum cibo animali et liquoribus fpirituofis abftinendum eft, necnon a cardiacis cujufvis generis; cibo ex farinaceis, et lacte, et potu acidulo ut cerevifia tenui, vel aqua lemomata (*lemonade* dicta Anglice) uti oportet.

Alvum

Alvum solutam reddere oportet ope clysmatum emollientium, vel salum refrigerantium. Eorum ope cephalalgia, et sensus molestiae circa praecordia levantur.

Ante eruptionem saepe accidunt convulsiones, quae si leves fuerint fausti ominis a Sydenhamo habentur; aliquando tamen tam violentae, ut aegrum e medio tollant; nil in hoc statu magis efficax quam opium invenitur, clysmata et semicupium saepe etiam valent. Liberam aëris admissionem multum adjuvare testatur Gregorius noster.

Eruptione jam facta, si diathesis phlogistica adhuc urgeat, vel si aeger sit habitus plethorici, si pulsus sint pleni et validi, iterum sanguinem mittere oportet pro symptomatum vehementia; eademque ratione regimen antiphlogisticum sed summa cura adhibendum: Enemata emollientia administrari debent, ut alvus rite subducatur.

De

De modo autem ea adminiſtrandi diſſident medici: Aliqui putant ea quotidie exhibenda, alii vero alternis tantum diebus. Hoc modo ſyſtema aliqua materiae varioloſae portione liberari, putat auctor, qui nuperrime de hoc morbo ſcripſit.

Ad faucum inflammationem et deglutiendi difficultatem compeſcendas gargariſmatibus detergentibus uti debemus; ſalivationem etiam promovent, quae ab aliquibus admodum utilis exiſtimatur.

Opium in hoc morbi ſtadio multum laudatur, ut puſtularum ſuppurationem promovens; attamen hodie fere omnes agnoſcunt medici, uſum ejus in morbis inflammatoriis pernicioſiſſimum eſſe, quamvis non conveniunt ſi viribus ſuis ſtimulantibus vel ſedantibus noceat; nobis autem rationi conſentanea videtur eſſe opinio, quod

dum

dum diathesis phlogistica perstat, opium nullo modo administrandum esse, e contra quando signa putredinis sese ostendere incipiunt, vel quando pustulae non bene maturescunt, tutissime dari posse.

Suppurationem nunc promovendam ope corticis Peruviani existimant aliqui, sed hoc fere idem, quod de opio dicendum; cortex diathesin phlogisticam et tonum systematis auget, fluidorum circulationem promovet, quapropter ab eo, nisi symptomata debilitatis vel putredinis adsint, abstinendum est.

Si pustulae autem plurimae et confluentes sint, et loco diathesis phlogisticae symptomata debilitatis vel putredinis sese ostendunt, cum febre typhode, praxis longe diversa adhibenda est: Tunc cortex Peruvianus inter tonica princeps larga dosi administrandus est. Aliquando vomitu ejicitur, sed in hoc casu ei addere opor-

tet

tet vel aromatica, ut pulvis ferpentariae, cafcarillae, vel fub forma tincturae exhibere; nec vinum filentio praeterire licet; in typho et aliis morbis a debilitate pendentibus feliciter adminiftratur; ventriculo et guftui gratum, cordis et vaforum actionem excitat, dolorem et delirium diminuit; quocunque morbi ftadio ftimulantia neceffaria funt, hoc adhibere debemus, tum quia dofis ejus facile determinari poteft, tum quia facilius quam alia medicamenta ab aegrotis fumitur. Opium in hoc morbi ftadio convenit; parvis dofibus datum fyftema fanguiferum ftimulat et dolorem levat: Multum prodeft, fi irritabilitas, delirium, vel convulfiones fefe oftendunt; potiffimum vero indicatur, fi fudores vel diarrhoea occurrunt. Epifpaftica extremitatibus applicare a quibufdam neceffarium dicitur; ab aliis tamen metuuntur ex eo quod in locis ubi applicata fuiffent, gangraena occurrere obfervata fuit.

FINIS.